

Disputatio inauguralis medica de peste ... / [Christian Ludwig Moegling].

Contributors

Moegling, Christian Ludwig, 1715-1762.
Camerarius, Alexander, 1696-1736.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Josephi Sigmundi, [1735]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dxy757xb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

G VII. Moe
Q. D. B. V.

45897

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

PESTE

QUAM

FACULTATIS GRATIOSÆ DECRETO

PRÆSIDE

D. ALEXANROCAMERARIO

THEORIÆ ATQUE PRAXEOS
PROFESS. ORDINAR.

PRÆCEPTORE ET PATRONO SUO PIE COLENDO

PRO

GRADU DOCTORIS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

CHRISTIANUS LUDOVICUS MOEGLING
TUBINGENSIS

AD D.

DECEMBER. MDCCXXXV.

HOR. LOCQ. CONS.

TUBINGÆ

TYPIS JOSEPHI SIGMUNDI.





S. O.

SI, juxta ERASMUM, jucunda cuique est ante actorum, & que ac periculorum superatorum, secura ac bene meditata recordatio: &, secundum SENECA, quod fuit durum pati, meminisse dulce est; Tum vitio nobis nemo quisquam facile profecto vertet, quod disputationis inauguralis iterum scribendæ thema sumserimus Pestem, illam ipsi non experti, de eadem, quod speramus, hac vice quidem satis etiam securi. Quemadmodum enim, juxta illud Poetæ, Non tam vexari quemquam est blanda voluptas, Quam quibus Ipse malis careas, quia cernere dulce est; Ita nos quoque, insolenti forsan exemplo, non sine magna animi voluptate, æquali vero simul in DEUM pietate, non minus jucundam recolimus pestis memoriam. Etenim *centesimus* jam nunc *annus* vertitur, ex quo diram luem istam non experta fuit amplius *Academia* nostra, sesquiseculo ætatis suæ primo ista septies fugata. Grata igitur mente devoti veneramur singulare hoc DEI Sospitatoris beneficium, &, dum in honorem Nominis Ipsius Sacro-Sancti memoriam pestis *Tubingensis* secularem ex nostra quidem parte celebravimus, quidni cum PSALTE intonemus: *Qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione DEI commorabitur.* *Dicit Domino, susceptor meus es Tu, & refugium meum, DEUS meus.* Sperabo in Eum, quoniam Ipse liberavit me de laqueo venantium, & de peste exitiali. Alis suis operiet

Te, & sub pennis Ejus tuto vives. Non est quod metuas a timore nocturno, nec a sagitta volante in die, a peste perambulante in tenebris, ab incursu & demonio meridiano. Licer cadant a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, non tamen ad te adpropinquabit malum. Laudate igitur DEUM omnes gentes, laudate Eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia Ipsius, & veritas DOMINI manet in eternum !

De *Onomatologia pestis*, ac *differentia* inter ipsam atque febrem pestilentem, non erimus admodum curiosi, multo minus solliciti, num *barbarismum* committamus, Bb. *Antecessoribus* usuali pestilentiae nomini substituentes illud pestis, metaphorice magis quam medice, ex Criticorum quorundam opinione, accipiendum.

Potius, promissi nuper in cathedra publice dati memores, *definitionem* ejus præmittere vel ideo non reformidamus, quoniam cum hac eo fere devenit, ut, post multas inanes vitilitigationes, tandem aliquando pronuper demum publice scriptum fuerit : “Et parum abest, quin dicamus, vulgatas pestis definitiones plerasque nil fere continere, nisi larvatum NESCIO.,,

Est autem Pestis febrium acutarum malignarum supremus apex, bubone & carbone ab aliis se distinguens.

Hanc ejus definitionem esse adæquatam, ac sufficientem, adeoque secundum omnem rigorem logicum γνωσίως medicam, ex sequentibus in decursu patebit ad oculum.

Hoc igitur modo declarata pestis Tubingæ nostræ quondam fuit non infrequens. Fide *Annalium Suevicorum* nostri quondam *Mart. Crusi* Universitatem vixdum natam, anno 1482. orta die Marci pestilentia, urbe excedere coegit, *Dornstettam*, *Uracum*, *Waiblingam*, *Rotenburgum*, oppida bene per Ducatum dispersa ; In urbe autem sustulit 1383. homines.

Anno 1520. legitur altera migratio, propter pestem, *Rotenburgum*.

Anno

Anno 1530. Academia iterum dissipata *Blaubeuram & Novo-castrum*, similiter longe ab invicem dissitas patriæ civitates.

Anno 1566. (emortuali nostro quondam *Leonth. FUCHSIO.*) quia rursus pestilens morbus inciderat, ergo Novembri Universitas concessit *Eßlingam*, unde Januario demum 1568. *Tubingam* rediit. Verba Historici sunt seqq. "Novembri Academicus Senatus de mutando loco decretum fecit. Pestilens enim morbus,, inciderat. Itaque Academia tota, eodem mense, cum CCCC., Studiosis, Eßlingam commigravit : humanissime ei hospitium,, ea urbe concedente.,, Crusius tum solus *Basileam* sese contulit, sequentis tamen anni februario Collegas sequutus suos, donec sub finem anni 1567. ac principium 1568. Academia rediret.

Anno 1571. "Eßlingam, inquit Crusius, remigrare cœpimus, ubi d. XVII. Septembris docere incepimus in omnibus facultati-, bus. Feræ bestiæ dicebantur trans Rhenum migrasse, propter,, corruptionem aeris. Principis Consistorium aulicum *Waiblingæ*, erat. Tybingæ Decembri pestis remittere cœpit. Nihilominus,, Majo demum anni 1572. omnes læti Tybingam rediimus, fau-, sta nobis precantibus etiam hominibus pauperibus & mendicis,, qui in tanta fame, ducenti aut trecenti, quotidie fatigaverant,, fores academicorum, quorum beneficia grati prædicabant. Per,, totum autem pestilens tempus Tybingæ cum ovibus suis manse-, rant concionatores, Parochus, cum tribus Diaconis, omnes fi-, delissime officio, & docendo, & ægrotis invisendis, functi ac,, divinitus in tanto periculo luis conservati : cum 950. circiter ho-, mines ea extinti essent.,,

Anno 1577. solennitatem festi secularis primi jubilæam statu auctumnali tempore habere lues impediit, & prorogari fecit in februarium anni 1578.

Anno 1594. "Inciderat (sunt iterum Crusii verba.) mense: augusto, Rectore *D. Andrea PLANERO*, pestilens lues Tybingam,, Stutgardiam, & alio. Septembri igitur ego, & alii Academiæ,, Professores post, in oppidum *Calvam* concessimus : Cæteri vero,,

“*Herrenbergam.* Docebatur tum Calvæ , tum Herrenbergæ , mo-
“re eo , quo Tybingæ . Rediit Academia tota (magnis quidem
“impensis , publice & privatim factis , sed satis bene.) sequen-
“ti anno proximo , mense februario , in sedes patrias Tybingam ,
“officio suo diligenter usque fungens. E *Stutgardia* autem , quo
“pestis etiam mense augusto inciderat , princeps cum Aula *Kirch-*
“*haimium* migraverat : *Cancellaria* vero , *Backnangam* : & Eccle-
“siaisticum consilium *Bietigheimum*. Desit ibi morbus mense fe-
bruario 1595. sublatis ad duo millia hominibus. ,”

Fugit vero tandem ultimo Universitas , ut ex *Observ. Ostw.*
GABELCHOVERI Cent. V. constat , *Calvam* rursus Septembri anno
1610.

Postremo , juxta *Chronicon Narc. SWELINI* , anno 1634. (mense fatalis *cladis Nærdlingensis.*) cœperat per Ducatum hinc inde sentiri pestilentia incipiens , donec sequenti anno 1635. cum bello & fame , patriæ universæ dira incubuit. Funesta *Tubingæ* , inter 1485. personas , per hunc annum mortuas , *Bb. Antecessoribus* , *Joh. PLACETIO* , & *Balth. SIMONIO* , atque quatuor *Philosophiae Profesoribus* , præter *Alb. KUNIUM* , *Joh. KOLBIUM* , & *Eberh. SCHULTESIUM* , in primis etiam *Guil. SCHICKARDO*.

Ab illo tristi anno 1635. patriam *pestis* per DEI gratiam non invasit *amplius*. Non pertigit ad nos , quæ anno 1665. ex *Belgio* , adverso *Rheno* , ultra *Moguntiam* , ad usque *Spiram* & *Landavium* , adscendit ; Nisi , quod unum ex vicinis pagum tunc occupasse dicebatur , intra ipsum tamen coercita. Nec , quæ anno 1680. ex *Austria* , adverso *Danubio* , versus nos minabatur adscensum , de- flectendo inde per *Bohemiam* , penetraverat in *Saxoniam* usque : vel altera , quæ nostra demum memoria , abhinc lustris quatuor , eodem fluvii tractu *Ratisbonam* adhuc attigerat , per *Bavariam* inde ad *Moraviam* ac *Carinthiam* reflexa.

Utrum in locum *pestis* venisse reputabimus febres malignas , petechiales , castrenses , ut patriæ , sic etiam urbi nostræ , certis interea temporibus bene graves , epidemias , contagiosas , ipsis quoque

quoque Medicis funestas, ut Horum audiverint napellus. Tristis ita recordationis sunt in primis anni ab 1689. ad 1695. quorum memoria, ut vel hac occasione conservetur etiam in historia medica, operæ pretium videtur omnino fore non nullius.

Ex Anglia, Suecia, Saxonia, Hungaria sæpius, quin & Peloponeso, nunc venientes, nunc reduces, milites ad annum usque seculi superioris octogesimum, hinc inde *hybernantes*, Tübingam infecisse tamen non æque constat. Nec Galli, qui patriam fere universam peragrati sunt, nec Suevi & Bavari ipsis succedentes, infecti erant, aut nostros tum inficiebant.

Cum autem annis post sexcentesimum ^{septua} octogesimum quarto, quinto & sexto, bellum gereretur ad Rhenum, milesque apud nos ordinarie hyberna occuparet, *febribus petechialibus* corripi & abripi passim cœperunt multi; minus tamen adhuc hac in urbe, quam ruri saltem potius, ac alibi.

Principium igitur malignitatis proprie constitui potest ab autumno anni 1689. Et *duratio* ejus extendi ad majum usque anni 1695. intra quod tempus, subinde quidem remisisse visa, sæpius tamen ex improviso resurrexit, & hos illosque abripuit.

Quam toties remisisse crediderunt malignitatem, *hyeme* accedente, & per hybernos, primosque veris menses, tam frequenter quam *graviorem* ut plurimum notarunt Medici; Alias sparsim magis atque rarius senserunt quasi ex improviso afflati pauciores.

Bello tum accessit *annona caritas*, incrementa sumens ad annum usque nonagesimum tertium; inde decrescens & satis cito, & mirum quantum, ut anno 96. magna jam fuerit rursus rerum omnium vilitas. Responderunt tam Heydenheimensium *Læris*, quam reliqui per patriam dicti *Hungerbrunnen*. Frumenti fuerat parum; Lolii multum; Segetum rubigo & ustilago. Unde pauperes ex regno vegetabili & animali comederunt talia, quæ alias vix subibus data.

Causa

Causa famis ac annonæ caritatis non sola perditio & consumtio a milite, tam amico quam inimico, sed & annorum perversæ tempesties. *Diluvia* nicri & ameræ nostræ frequentia, in specie cum principio luis, januario 1690. & februario 91. *Hyemes* sævæ, vitibus & arboribus noxiæ; Frigora verna & auctumnalia intempestiva, præpostera: Unde vinum & paucum, & minus generosum; Si annum 93. solum exceperis forte. Verminationes etiam & *Insecta* accusarunt agricolæ; Arbores, mane egregie florentes, post meridiem examine infectorum obseßas, a noxio, ut ajebant, rore delapso.

Ratione *Ætatis* excepti videbantur infantes præ senibus; *Sexus* nullum fere discrimen fuit observatum. *Vita* generis, opifices, vinitores, pauperes plurimi occubuerunt. Universitati tamen quasi pepercisse visa lues, docentium nemo, discentium vix unus & alter desiderabatur, quorum numerus ultra quinarium sese non extendit. Ministrorum vero Ecclesiæ atque Medicorum, maxime juvenum, optimo ætatis flore constitutorum, abripiebantur tanto plures. Una Tubinga nostra duos Diaconos, Medicorum unum, horum insuper octo alios patria reliqua numeravit mortuos, ex infectis non servatis nisi biga unica.

Fuit autem infectionis & contagii mira *varietas*, modo pluribus, modo ad unum omnibus, quin prorsus nemine, domesticorum correptis, & ex his hic primo, ibi forte demum ultimo, alibi contra omnibus vel abreptis, vel evadentibus, inter quos exempla suppetebant non pauca tam talium, qui accesse runt jugiter infectos, nihil tamen ab his suscipientes, quam aliorum, qui neminem ægrotorum unquam accedentes nihilominus fuerunt & correpti & abrepti.

Modus invadendi tam *præceps* quibusdam atque gravis fuit, ut a primo statim principio extra lectum degere non modo non valuerint, sed ne quidem in lecto semet amplius erigere sine vertigine ac deliquio; vel subdolus aliis, *tardus*, primæ horrificationi, forte non sufficienti, dierum aliquot intervallo nova turbatione superveniente. Imo fuerunt, qui de lue non saltem dubi-

dubitantes, sed & Medico contradicentes, exitu brevi veritatem ejus fuerunt edocti, qualem prae aliis tum doluerunt sui patrem Ianiōnem, senem quidem, bene tamen adhuc valere visum, qui rigidissima hyeme de summo ponte nicri nostri lapideo, super quem, quod sibi non bene esset capite, recentem capturus aerem vix resederat, in fluminis medium delapsus, miraculi quidem instar servatus & in lectum deportatus, petechiis vero ibi statim undique obsessus, brevi exspiravit.

Interim petechiis, tanquam febri utique principali, accesserunt varie per annos istos morbi etiam alii : *Dysenteria*, per aestatem & auctumnum annis 1689. 90. 91. *Colica*, auctumno maxime annis 1690. 91. 92. hoc ultimo quidem quasi epidemica, gravis, spasmodica, ad epilepsiam & recidivas mirum quam facilis, sequentibus statim annis a lithargyrio venisse comperta. *Variolæ*, satis quidem benignæ, sub finem anni 1688. & per aliquot menses 89. *Morbilli*, epidemici aprilii & martio ann. 1692. quos exceperunt denuo *Variolæ* satis adhuc benignæ. Tandem *Febrium Intermittentium* anno 1694. & 95. magnus numerus.

Adderemus plura, & ex praesenti, quod vivimus, seculo adduceremus tam auctumnum anni 1703. cum subsequa hyeme, vicinis pagis atque oppidis *maligna*, integro autem sexennio epidemia *intermittente*, febre urbi adeo gravem, quam geminam & hominum *febrem catarrhalem*, nec patriæ saltem, nec Germaniæ, sed Europæ tantum non universæ communem, & *vaccarum luem*, non minus late admodum Europæ provincias præcipuas peragrandem, nisi quidem instituti ratio in viam tandem redire præcipieret.

Olim tales novi maligni morbi sese intermischuisse vel interposuisse leguntur pestibus. Meretur ex laudatis CRUSII *Annalibus* transcribi paucis hoc ad annum 1529. annotatum. “Tunc Anglii sudoris ex Belgio adscensus, & famis septennis factum est,, initium. Per totam autem Germaniam sudabatur, hominibus,, aut intra unum diem naturalem morientibus, aut veneno ex,, sudato paulatim valetudinem recuperantibus. Stutgardiae am,, plius

plius quater mille sudabant ; E quibus mortui sunt tantum sex.,
CRUSIUS autem ipse , cum suis , legitur sudasse demum anno
1533.

Jan. Cunr. RHUMELIUS anno 1565. & 66. natum *morbum hungaricum*, ab ann. 1593. ad 96. in primis sœviisse scripsit ; (quem GABELCHOVERUS ipsis illis annis , quo Calvam Schola nostra fugerat, ibi valde gravem & epidemium fuisse recenset.) Ad annum vero 1580. memorat *Gravedinem* illam capitis , vel cephalæam catarrhosam , aut cephalalgiam contagiosam , Gallis *coqueluche* dictam , quæ municipatim Europam pervagata , & in omnes fere regiones ejus debacchata , populariter immanitate tanta mortales exercuit , ut suo impetu proprioque veneni genere pestilentem se se proderet. Romæ decem millia hominum sustulisse , Venetiis quotidie centum & viginti circiter peremisse , Tybingæ , in tractu Wurtembergico , Julio mense plurimos absumssisse , ibidem dicta.

Videri ita posset Tubinga nostra præ aliis per patriam urbis magis periclitata. Minime tamen gentium. Non enim hoc fuit universale. Potius , cum anno 1626. viginti octo hominum millia in chronicò recenseantur peste absunta , Tubingam tamen nostram tum perstitisse immunem , colligitur ex primis verbis consilii *Bb. Antecessorum* illo anno publicati. Talium annorum plures hinc inde deprehendimus. Ita de anno 1585. pestem legimus *Nurtingæ* , ac vicinæ Imperiali *Reutlingæ* , gravem , quæ Tubingæ tum pepercit. Anno 1564. *Stutgardiani* , anno 1576. *Eßlingen* , *Tubingam* concesserunt peste profugi.

Si , ut ajunt , Tubingæ hominum sunt circiter *quinque millia* , etiam summæ istæ mortuorum , anni 1482. quidem 1383. anni 1571. 950. anni vero 1635. 1485. poterunt referri ad *Aphor. 130. Seßt. I. SANCTORII* : “ Non omnes , sed tertia pars circiter hominum , peste moritur . , Jo. GRAUNT in *Catal. Mort. Londin.* concedit quidem unam mori tertiam , sed illorum saltem , qui præsentes in urbe manent , non computatis fuga sibi consulentibus. Horum , maximam partem opulentiorum , cum soleat esse pars universi fere tertia , vel duæ quintæ , in urbem reversura lue penitus extincta , hinc

hinc adparere, non mortuam nisi partem hominum circitet quintam.

Num hic stringit ratio PLATERI? Quoniam duplo plures nascantur, quam moriantur, quotannis homines, indigere genus humanum repurgatione; singulis igitur decenniis peste. Quæ, quo diutius emanserit, eo majorem stragem editura sit. Videtur profecto huc respexisse verbis suis Academiæ nostræ tum Pro-Rector B. OSIANDER, in *Jubilæo Universitatis altero*, de anno 1610. inquiens: “Pestis, falce immissa in hunc agrum luxuriantem, sternebat hominum copiam, &, quod superfluum in illo, justo DEI judicio,, demessura, refecabat. ,”

Quoniam vero major strages, eminentior disproportio stragis bovinæ & vaccinæ, observata non semel fuit, quidni ulterius etiam quærere liceat: *Num* debeatur hoc sapientiori hominum animæ, quæ bubonibus & carbonibus effugium sibi quærat, ac a veneno corpus ita suum expurget?

Numerus peste correptorum quidem, sed non abreptorum, verum ab illa *evadentium*, vix ullibi recensetur. Quo magis igitur notatu dignum est illud, quod apud PLATERUM legitur de peste annorum 1609. 10. 11. Basileæ mortuos 3968. curatos iterum 2250. Longe tristius sonat, quod *Vienna* scripserunt Austriaci d. a. 1713. mortuos ibidem fuisse per istum annum 8644. servatos tantum 921. Optandum, adhiberetur similis diligentia ubique toties, & innotesceret vel saltem Medicis.

De peste 1571. supra notavimus ex CRUSIO, *Pastorem* cum tribus *Diagonis* mansisse *incolumem*. Itaque non habet solus, quod glorietur, CÆSALPINUS & HELMONTIUS. Notavit idem quoque jam suo quondam tempore de lue ungarica SPINDLERUS. Et confirmarunt exemplo suo, scriptisque super istam pestem observationibus ac animadversionibus lectu dignissimis, *Medici Massilienses*.

Hoc ipsum tamen non est universale. Patitur exceptiones suas & instantias. Etenim in *Chronico SWELINI* ad annum 1596. *Calvenfium Physiens* legitur peste mortuus. Et apud CRUSIUM notatur

tatur *Diagonorum* illorum prius laudatorum unus, qui Tybingæ per pestem manserat incolinis, deinde anno 1585. *Nurtingæ Septembri* peste decessisse. Adeo Nullo fata loco poteris excludere, cum mors Venerit in medio Tibure Sardinia est.

Frequens ita urbi nostræ pestilentia per illud sesqui seculum, qualem tamen habuerit *originem*, unde venerit, quæ vicinarum regionum prior laboraverit, quem ordinem civitatum per patriam servaverit; ubi tandem substiterit ac cessaverit, locis citatis non legitur. Nunquam autem hic primum orta jure creditur, adeoque a nobis refertur ad modos, quibus transferri morbus aliquis de loco in locum possit & soleat. Jam suo quondam tempore PLINIUS *Hist. Nat. L. VII. c. 50.* pestem deduxit ex Africa & Ægypto, recentior ætas ex Asia, a Turcis, unde malum ibi endemium diversis modis & mediis Europæ nostræ inferatur, prout pluribus videre est in *Chronologia med. pest. KANOLDI*, aliisque passim.

Equidem in *Ætiologia* primas olim tenuit *Aer*. Enimvero hunc plerorumque omnium Scriptorum consensus excusat hodie & exculpat. Quanquam ergo pestis ab aere venenato non oriatur primario, sed fuerit observata sub aere etiam bono, laudabili, sine vitio ejus notabili; Unum tamen & alterum occasione ipsius memorabile suppetit, quo rationem ejus nihilominus habendam esse patebit.

Ante omnia, si in *aerem*, qualem toties adcausarunt Veteres, *austrinum* cadant causæ dicendæ, malum videtur futurum eo vel gravius vel certius. FUCHSIUS noster in *Instit. suis* scripsit: *Quum aeris temperatura a naturali habitu ad immodicam caliditatem & humiditatem conversa fuerit, pestilentiam sequi necesse est. Quod alias de generali tam temporum, quam locorum austro expositorum, insalubritate verum erit, juxta Aphorism. HIPPOCRATIS de Austro, & Disput. Pyretolog. B. PATRIS.*

Secundo, *ἀπόκρισις νοσερή, μίασμα*, transferendum ab inficiente ad inficiendum, non æque in distans, sed vicinum, fieri utique

utique videtur contactu non modo corporali , vestium, utensilium , chartarum , animalium , aliorumque ; Sed in primis communicatione effluviorum in & cum aere , & hujus in penetralia corporis insinuatione , uti vel odoris venenati exemplum a GABRIELE allatum declarat.

Tertio, progressu pestis per contagium multiplicatae , crescente infectorum numero, aerem per urbes atque pagos tandem infici, atmosphærā demum impuram fieri, vix videtur posse declinari, sed huic principio debet potius adscribi, tam quod de ferarum fuga trans rhenum supra allegavimus ex CRUSIO , quam quod de peste Vienensis notavit SORBAIT, scil. passeres canarienses in caveis suis expirasse ; quibus utique fœtorem singularem in *Disp. d. plenit. mal. c. purp. alb.* notatum poteris addere.

Quarto, æstivæ & auctumnales fuerunt pestes urbis nostræ recensitæ , sub frequentioribus & majoribus ejus mutationibus graviorem toties *Londini* stragem edidisse GRAUNTIO dudum observatæ. Numerus in ultima per mensem Septembrem mortuorum fuit 426. fere pars tertia totius summæ. Recte proin SYDENHAMUS , habere ipsam pestem quoque sua tempora ortus , incrementi , decrementi atque finis , ab æstate per auctumnūm , in glaciali bruma. Magnum rursus argumentum pro aere , sine quo extra illud tempus nec contagium , nec terror , tantum valere dicuntur ejusdem Patronis ; uti nec tarantula , hyeme admordens aliquem , damnum adulisse notata fuit BAGLIVO.

Quinto ad aerem pertinet , vel eidem subordinari tamen debet , vexatus tantopere *astrorum influxus* , prolixius abs me deducendus , nisi frontem rugaret statim *Leet.* quem tamen præstolamur *Benev.* Certe Majores nostri bellum , famem , pestem , imo miseriā vitæ humanæ tantum non omnem , derivarunt olim ab infâustis siderum adspectibus , planetis præcipue cometisque , ista si vel maxime non efficientibus , tamen præfagientibus. Hinc fatum , quod post *Stellas* istas *novas* , in Cassiopea 1572. in Cygno (ad crucem Christi.) 1600. ad pedem Serpentarii 1604. atque *Cometas* , e. g. 1607. 1618. & 1680. in primis comparentes , prela adeo

fatigaverint scripta tam numerosa, interque hæc etiam non pauca nostri quondam KEPPLERI; Ex cuius *Ephemerid. novis mot. coel. constat*, anni istius famosi 1635. mensibus pestilentialibus *Saturnum*, ex capricorno in sagittarium retrogradum, dein ibi stationarium, *Marti* fuisse *oppositum*. Sicut idem anno 1689. quo malignitatem nostram petechiale inchoasse supra diximus, eidem *Marti* bis, Augusto & Septembri, quin tertia vice iterum Januario 1690. fuerat *oppositus*. Derident quidem hæc talia Recentiorum multi; Novos tamen subinde Patronos nanciscitur sententia, novo plane habitu induta, ac modernis NEWTONI, WHISTONI, HALLEYI, aliorumque principiis adcommodata, prouti vel ex *Cometol. Eclat. Exc. Dn. Prof. CREILINGII* nostri patet, Qui, si vitam quidem DEUS dederit, avide mecum expectat, num melius, ac *Bernoulliana* quidem, ibidem *Set. I. Cap. II. §. 2. & Coroll. IV.* dicta, ne-dum Ipsi tamen credita, fatum habitura sit *Marchionis Ant. GHISLIERI*, Episcopi Arotensis, Prædictio Cometæ anno 1736. apparituri, in *Commenc. Astronom. Noric. Tom. I. Nr. I* præmissa.

Cur *pestis* brumali tempore cesset: *Encephalonoſos* autem vi-geat? quæsivit olim cit. RHUMELIUS, & respondit: Quoniam illius arsenicale venenum a frigore cohabetur, hujus mercuriale vero ab eodem adjuvatur. HECHSTETTERUS tamen, præcedentis coætaneus, *Observ. suarum Medicin. Dec. I. Cap. VI.* quo typum febris ardentis malignæ recenset, p. 48. notavit, toto quinquennio febrem istam hyeme magis atque sævius grassatam fuisse, ac æstate, quæ semper fuerit salubrior, maculis etiam hyeme saltem, non autem æstate conspicuis. Imo invertit fere hanc propositionem BORRICHII in *Aet. Hafn. Vol. IV. nr. LXI.* malignitatem hyberno frigore adeo non mitigari afferens, ut potius, quo sævius urget gelu, eo pertinaciores plerumque evadant, atque virus suum magis spargant, malignæ febres. Ad minimum petechiale quoque nostram epidemiam media bruma sæviisse patet exemplo lanionis supra recensito.

Utrum aliquid discriminis importet citior vel tardior per æstati-tem in urbe non tam eruptio, quam in urbem pestis importatio, ut deinde citius quoque terminetur auctumno, aut tardius de-mum

rum sera hyeme? *Item*, quantum contribuat ad fovendam ipsam hyems austrina, ad terminandam aquilonia? Licet forte ratio videatur annuere, experientia tamen sola poterit determinare. Certe *Varsovia* anno 1709. Decembribus aerem austrinum pestis recidiva luisse quondam scripta fuit.

Duo interim hic phænomena notabilia: *Principium Pestis* verum non semper ab anno quo grassatur, sed interdum jam a prægresso; exemplo annorum 1634. & 35. quorum hic perfecit, quod ille inchoavit. Gliscere ita sub cineribus saepe diu posse, exemplis recentiorum tam Galliæ, quam Saxonie, & Poloniæ pestium declarari facile posset. Jam olim PLATERUS de fine anni 1609. scripsit, isto peste mortuos non nisi quindecim; per principium anni 1610. instar febris malignæ aliquos prostravisse, adhuc sine bubone & carbone. Julio demum signa pestis exhibuisse, atque Octobri tandem invaluisse penitus.

Quid sentiendum igitur de *Infantum strage* e. g. *variolacea*, putata stragi adultorum pestilentiali prævia? Nos habuimus illam anno 1709. sine subsequa posteriore.

Dysenteria autem an præcedit, an comitatur, aut coincidit in eadem tempora? Ab eodem, aut diverso, singulis proprio & distincto, principio? Sed petechiis apud nos, sub finem seculi superioris, junctam supra diximus etiam sine subsequa pestilentia.

Bene igitur examinandum est, utrum pestis cadat in *urbem* prius sanam, an febribus, fluxibus, &c. jam prius vexatam; aut in *subjecta bello*, fame, jam territa, languida, diætæ vitiis inquinata, sub publico miseriарum concursu. Gravior quide[m] fiet ab his omnibus, & majorem stragem edet, neque tamen unquam primitus excitabitur, nec generabitur, aut producetur ab his solis. *Famem* certe saepius sustinuerunt nostrates, tempora etiam calamitosissima experti. Ante messem anni 1713. penuria fuit magna, esus nefcio quorum non. Tamen sana mansit plebs, sani rustici, febribus modo intermittentibus abhinc correpti. Quid ab anno 1689. ad 95. contigerit, supra enarravimus.

Alterum

Alterum phænomenon est *progressus pestis annuus*, interposito magis vel minus silentio hyemali. Jam alia occasione diximus, morborum non minus ac personarum, rerum atque temporum, historias mereri consignari & conservari. Sic de peste hujus seculi constat, illam anno 1707. primum ab æstate in autumnum fuisse *Cracoviæ*. 1708. *Warsoviæ*, & per Poloniā passim. 1709. *Gedani*. 1710. *Cracoviæ* quidem iterum, sed non minus etiam tam in *Hungaria*, quam *Silesia*, quin *Pomerania*, ac *Suecia* metropoli. 1711. *Hafnia*. 1712. In *Holsatia*. 1713. *Hamburgi*, sed tum non minus etiam *Posonii*, *Viennæ*, *Ratisbonæ*. 1714. in *Bavaria* inferiore, & Episcopatu *Salisburgensi*. 1715. In *Moravia*, *Carinthia*, & ex Septentrionalibus adhuc *Altonæ*. Merentur hæc talia evolvi & legi in *Chronologis pestium*, tam KIRCHERI, quam KANOLDI.

Aeri venenato substituitur *Contagium*, uti quidem lues ipsa vocatur aliis Contagio. Hanc causam agnoverunt & confirmarunt tam Majores nostri, quam recentiores omnes, non modo fugientes, verum etiam commercium omne cum infectis interdicentes. Hinc edictum illud Senatus Academicus Esslingæ commorantis apud *Crusium*, ne quis Studiosorum homines Tybinga venientes recipere, aut quidquam communicaret, cuius citantur hæc, tum Rectoris, *Jac. SCHEKII* verba : “Contagio res periculosa est : “potest aliquis, ipse non moriens, spiritale venenum sua conversatione in aliquem transmittere.” Sic juxta *Observ. GABELCHOVERI* Studiosus nostras Calvæ pestem intulit, ibidemque alium infectit, qui sæpius ipsum visitaverat ; Et hunc exceptit ancilla, hypocaustum modo quæ purgaverat.

Primi ergo & præcipui sunt *Homines*, ex locis ubi pestis sævit venientes, & personæ jam infectæ inter sanos tamen adhuc ambulantes, aut ad istas qui accedunt. Sed non ipsi modo, verum etiam *Res eorum omnigenæ*, vestes, supellex, utensilia, animalia, quin chartæ tandem & pecuniæ, quibus adhærere venenum, & de loco in locum, ab uno homine ad alium, transferri solet & potest. Uti quidem hunc adeo multiplicem infectionis modum, sub libertate commercii & concursus hominum mutui, a *Bb. Antecesso-*

recessoribus in consilio laud. traditum, communis medicorum omnium consensus hoc usque confirmavit.

Quale sit in se, quod ab hoc dimittitur, ab altero suscipitur? Per quas vias corpus subintret? Quomodo in ejus partes agat? quæstiones proponuntur passim & tractantur satis arduæ.

Dicitur omnibus *specificum*, intima indole sua occultum, ali-
quod *je ne sai quoi*; Et concipitur ut *stimulus cum fermento*, po-
tentia salino sulphurea caustica instructus, servans naturam cor-
ruptionis specificæ, non scorbuticæ, non venereæ, non cancro-
fæ, non variolosæ, nec petechialis aut miliaris, sed pestilentialis.
Adeoque *Effluvium*, Boyleano modo exprimendum, miræ subtilitatis,
determinatæ naturæ, magnæ tandem efficaciam. Ad analogiam,
ex censu *Venenorum* potius animalium, quam vel mineralium vel
vegetabilium. Nisi forsitan ex TAVERNIERII *Itiner. Orient.* L. 111.
atque KÆMPFERI *Amoen. Exot. Fas. III.* velimus adsciscere vene-
num ex insula *Borneo*, quo sagittas suas Indi inficiunt, efficaciæ ac
celeritatis tam stupendæ, ut non modo, periculi faciundi gratia
conducta, & cum omni adparatu suo adstante, Chirurgorum biga
vulneratum talis sagittæ iictu hallucem amputare tam celeriter non
possit, quin venenum cordi jam transmissum misere nihilominus
hominem enecet; Verum etiam Aves, super recens fauiciatam istius-
modi arborem volitantes, aut capite damnati, quam maxime pro-
cul stantes, ac arundine mucronata arborem pungentes, exhala-
tionibus adverso vento susceptis illico suffocentur.

Utrum *animata* sit hæc pestis *causa*? disputatur. Vel po-
tius, agnoscitur quidem res ipsa, sed morbi saltem productum,
effectus fuisse contenditur, idemque ne quidem semper & ubique
obtinere conceditur. Evidem tempus pestis in illud quoque ani-
ni tempus incidit, quo tota circa nos natura quasi verminat, ani-
mantur atque vivunt omnia. Non est, quod quis putet, solam
esse insectorum, quæ videntur repere & volare, copiam. Dan-
tur tales atomi, talia minima, quæ si vel maxime non ipsa, ta-
men eorum semina sensus fugiunt, microscopiis detegenda. Fru-
ctus etiam naturæ vegetabilis per illa tempora quidam per se cor-
rum-

rumpuntur, & pomum putridum vicina inficit; Alii verminando consumuntur, & crucem figunt curiosis, qui nucem e. g. avellananam, frequens inibi obvius & nucleum depascens, vermis intraverit. Vel, si placet analogia Gallarum: *Utrum* bubones & anthraces totidem *gallas animales* vocabimus, & ad illarum modum explicabimus? Ut scabiem e. g. non ab humorum vitio, sed totidem insectis, intra pustulas nidulantibus, derivat CESTONUS.

Ista causa vel infigetur *cuti*, aut per ipsam tamen se insinuat intimius; Vel cum *aere* inspirabitur in pulmonum vesiculas; Vel denique per os cum *saliva* descendet in stomachum, atque hinc per viam regiam in totum corpus.

Primum modum declararent tam malignæ artes, venenis eternis occulte perimendi homines, quod chirothecis, comis factitiis, &c. illitis procuratum ajunt; quam venenatorum animalium ictus, morsus, lues venerea, vespillonum beneficia, &c.

Quæ potior ratio, commoti ab infixa spina nervosi systematis, naturæ vel vocatæ ad loca ista læsa, vel deductæ ad interiora, & inquinandum ibi sanguinem, ad inflammandum vel convellendum partes solidas internas nobiles, conflictui dabit litis materiam.

Alter modus placuit olim HELMONTIO, non tam in peste, quam aliis inspiratis, ducendis paradoxe per poros pulmonis, & diaphragmatis, ad convexum stomachi, suæ sedem animæ.

Tertius probatur illis, qui in exspuenda *saliva* prophylaxin fundant, a præcordialibus autem in peste passionibus ad partem primo affectam argumentantur.

Denique: *Quid patimur secundum diversas nostri partes?* MORTONO dicebantur affici *Spiritus*, qui luctantur cum Veneno, & sunt isto vel inferiores vel superiores. Quemadmodum igitur casu priore succumbunt, post luctam vel nullam vel frustraneam; Sic in posteriore casu, post statum forsan aliquandiu ancipitem, eluctantur tamen, & venenum vel facilius, citius atque plenius, vel difficilius, ægrius atque tardius, sequestrantes expellunt.

Aliis

Aliis immediate magis affici *Sanguis* creditur, quem diversi diuersimode considerant. Quidam, ex hypothesi Antiquorum, cum **WILLISIO** coagulari; Alii, ex sententia Recentiorum, cum **SYLVIO** resolvi: Vel cum **BELLINO** partim solvi, partim cogi; Tandem quidam neutro modo semper affici, sed in una eademque peste apud quosdam attenuari, apud alios incrassari dicunt, quod postremum in primis tam *Viennenses* quam *Masilienses* de peste Scriptores ultimi contendunt.

Sed nec desunt, qui, posthabitis prioribus, *Partes corporis Solidas* potius respiciunt, proin *SCRETÆ* hypothesi conformiter *Inflammationes viscerum* in primis urgent, atque juxta partium dignitatem, inflammationis vero indeolem ac terminationem, decursum pestis quoque metiuntur ac determinant.

Occasione ita corporis partium in primis affectarum nefas esset præterire tam *Cor*, quod primario in peste affici, ejusdemque crassi destructionem in primis intentari, ex Antecc. quondam statuit *Dan. MOEGLING* in *Disp. d. Pestil.* Quam *Hepar*, quod magnitudine insolenter auctum, ac bile ex viridi nigrescente turgidum, in peste defunctorum cadaveribus apertis omnibus abs se deprehensum fuisse scr. *CHICOYNEAU*.

Utrum in hac sententiarum varietate pro declaratione veritatis in subsidium vocari *Chymia* possit, dubito. *BAGLIVUS* quidem assignavit olim acutis alcali, chronicis acidum. *Viennenses* destillationi subjecisse perhibentur bubones. Num vero negotium universum istis expediri, & tota phænomenorum series explicari, atque remedium inde morbo reperiri possit, hoc aliud & mega lian ætima est.

Sub hujus tandem articuli finem hoc insuper notari mereatur: Contagii certitudine & efficacia omni non obstante, obtinet nihilominus priscum illud *FORESTI*: *Mortuos impune secari*. Negavit quidem hoc, ideoque sectionem demandatam recusavit, *Facultas Medica Viennensis*, prouti constat ex *Ordin. Austr. Pestil.* de ann. 1727. P. II. C. IV. p. 196. Eandem tamen, in tribus peste defuncto-

rum cadaveribus, a GEORGIO masculine suscepitam, non ibidem modo legimus, sed & in peste Massiliensi postea repetitam deprehendimus dans les Observ. & Reflex. touchant la nature, les evenemens & le traitem. de la peste de Marseille par Mess. CHICOYNEAU, VERNY & SOULIER. Memini tamen me alicubi legere, in peste apud Hamburgenses ultima Medicum juvenem, aperiendis cadaveribus strenuum, cum tandem aliquando inter secundum leve *digito* suo infligeret *vulnusculum*, peste statim abhinc fuisse correptum, acutissimeque abreptum. Confirmasset hac ratione illud BAGLIVI atque RHEDII, de viperæ veneno, innoxie quidem epotando, sin autem *vulnusculo* instilletur cutaneo, præsentissime deleterio.

Præter aerem & contagium est *Terror*. Non tam qualisque metus futuri, pestis adhuc longinquæ; nec commemoratio præteriti, cum dolore & horrore animi; Quam potius terror præsentis, idemque adeo efficax & fortis, ut, sec. RIVINUM, contagium ne quidem sit contagium, i. e. hominem non infecturum, nisi Terror accedat; Aut sec. HELMONTIUM: In infante, omnis terroris experte, pro libitu suscipiatur pestis innoxie. Quod inter singularia pestis Holsatica notavit WALDSCHMIDIUS; Apud Massilienses mirabundus vidi CHICOYNEAU; Proprio autem calculo dudum ante hos jam confirmaverat SCHENKIUS Observat. Libr. VI.

Ex sententia *Antecessorum* terror dispositionem infert ad infectionem, ut subtile venenum eo facilius spiritibus vitalibus semet insinuando associet, proin homo, tanquam fomes aptus, scintillas luis citius excipiat.

Aliis videtur esse *signum* affectæ naturæ, actus, quo innotescit passio, quo declaratur sensus mali ab appulsi causa, a qua quasi ab aura se adflari, juxta GAKENHOLZIUM, aut a peste iicti quasi a flagro percuti sentiunt, juxta PLEMPIUM.

Advocarem ex HELMONTII *Tumul. Pest. Angelum percussorem*, nisi aurem vellicaret Idem ille, cui terror ipsa vera & sola conceptæ pestis *causa* est, prouti patet ex verbis ejus l. c. “Terror hominis est occasio pestis. Terror archei, efficiens est imaginis & veneni

neni pestiferi. Est enim velut pater pestis. Unde constat, ipsum „
Archeum conterritum esse primitivam causam efficientem imagi- „
nis pestilentis.,,

Qui hoc postremum urgent, duo præcipue agunt, partim ut
vim terroris ad producendos morbos declarant exemplis, v. g. pu-
stularum oris, canitiei subitaneæ, etiam unilateralis saltem, a vi-
so spæctro, vel auditio mortis nuntio, nævorum maternorum, va-
rie tam coloratorum quam extumescentium, mammarum in la-
stantibus nodis obfessarum, indeque exulcerascentium, aliisque;
partim ut, cum GERSTMANNO, *venenum & contagium* omne tollant,
contra terrorem vero animum hominis bene muniant ac obfir-
ment; Provocantes tam ad Turcas omnes, quam ex Christianis
ad illos, qui in media peste manent tamen ab hac *immunes* atque
liberi, prout præter Theologos, atque Medicos & Chirurgos, de
quibus supra, in primis etiam de IMPERATORE Augustissimo con-
stat, Ipsum metropoli non excessisse sua, sed animo prorsus he-
roico mansisse intrepidum, nec in venatoriis excursionibus suis
quidquam se turbari passum.

Quam in hoc consentientes habent Scriptores Galliæ ultimos,
tam speciosum ejus rei documentum adquirunt, præter intentio-
nem Ejus quidem, a WALDSCHMIDIO, de patriæ suæ peste hæc
inter alia scribente: “Postquam exercitus Suecicus sub *Steinbockio*
Ducatus hos ingressus est, quem *Russi* presso pede sunt subsecuti,,
id quod factum est post fatalem Danorum cladem ad *Gaden-*,
buschium, & circa initia anni 1713. *Gluckstadii*, *Itzehoe*, *Rensbur-*,
gi & aliis locis, ubi *pestis nondum* penitus *extincta* erat, hæc sua,,
sponte, præter omnium expectationem, ita *cessavit*, ut ne vesti-,
gium ejus postea adparuerit, licet nulla ædium vel vestimento-,
rum, aut aliorum utensilium, facta sit mundificatio, ita, ut,,
tum cives, tum *Russi* Itzehoam & Rensburgum transeuntes, le-,
ētis, in quibus paulo ante infecti peste demortui erant, sine noxa & con-,
tagii periculo incubuerint.,, Num hic terrorem terror pepulit: pe-
stem miles, tanquam majori, cedere fecit? uti *Davides* quondam in
DEI, quam hominum, manus incidere maluit. Anne vero, si-
ne omni respectu tali, solo DEI nutu, juxta WEDELIUM in *Exerc.*

Sem. Path. dire 'grassata pestis, velut *ἀπὸ μηχανῆς*, simul & semel sublata omnis, ut nullum ejus superesset vestigium? Confer. si placet, quæ ex laud. GRAUNT & HODGES de peste Londinensium, in primis anni 1665. præcedentibus a WALDSCHMIDIO relatis prorsus similia, in *Disp. d. Peste certo avertenda adduxit Patruus, B. Dn. D. Elias CAMERARIUS.*

Quam ergo controversus triplex iste modus, tam certum vicissim est, consternationem corripiendorum peste summi semper esse momenti. Sicuti contra dubium adhuc manet: Utrum *adprehensio vana*, & *terror inanis*, a conversatione cum falso atque per errorem pro peste infecto habito conceptus, veram tamen, illo loco non præsentem, pestem possit primitus producere? Aut, num *imaginatio* fortior terrorem, terror pestem, possit excitare? Certe solo *visu*, solo *auditu* illa correptos, quin imo *tactu* alterius sani, fonticulum gestantis, quem ineptissime & falsissime carbunculum pestilentiale esse tangens putaverat, hunc peste statim abhinc corruptum atque mortuum, historiæ tradunt; *Petechias* vero *ex imaginatione* sola se contraxisse de semetipso testatur WERKMEISTERUS.

Venerabundus *τὸ Θεῖον* suum hic applicaret HIPPOCRATES. Occultum id, quo vivimus, *Providentiam DEI*, ex praxi medica discamus. Ultimato enim huc se resolvet difficultas omnis. Quod non patiatur corpus, quod non moveatur anima, erit secundum id, quod fatur Dominus vitæ & mortis. Sub hoc modus erit duplex: Vel causa non aget; Vel subjectum non recipiet. FUCHSIUS noster, cum GALENO suo, receptivitatem subjecti regerit, sed qualis pro non admittenda, quin excludenda, peste sit idiosyncrasia, non determinat. Sed nec sola temperamentorum differentia rem exhaustit, neque clarior est ratio, quæ eximat quosdam, certos, plures vel pauciores, nisi sit voluntas mandantis & exequentis illius omnipotentis. Casu quo, non percussus manebit integer.

Addamus huic articulo corollarium adhuc alterum. Cum de peste Scriptorum consensu unanimi prima luis declaratio publica consternationem atque turbationem animorum excitare soleat omnium maximam, non modo recolligentibus sese atque confidentio-

dentioribus factis plurimis, quam primum ordine disponuntur omnia, normam atque regulam accipiunt suam singula, verum etiam ipsa morbi curatione melius procedente, atque pluribus reconvalescentibus; Deliberationem itaque politico medicam mereatur arduam: *Num, & Quandiu, celare luem liceat?* GOTWALDO in *Memor. Loim.* laudatur *Senatus Gedanensis*, quod anno 1709. gliscientibus licet jam luis contagiosæ igniculis, publico tamen edito prohibuerit, de morbis periculosis & extraordinariis rumorem spargere, ne quis hac ratione civibus terrorem, commerciis impedimentum, citra necessitatem imponat. AUDONIO contra male admodum audit *Magistratus Massiliensis*, quod hic, Medicorum relationes dissimulans, in urbe pestem esse negaverit, & hoc testimonio suo publico luem augmenta sumere siverit.

Quid patiatur peste infectus, sec. omnes morborum & symptomatum differentias, si recensere & pertractare vellem, nimis prolixus fierem. In compendio rem proposuit HELMONTIUS, de proprietate pestis inquiens: "Constat inquinatione, contagione, scilicet celeritate cursus, singularitate veneni, concomitantium terribilitate, præservationis demum & curationis difficultate. Præcipua pathognomonica nos eadem brevitate in definitione supra diximus; *Febrem* scil. continuam, acutam, malignam; *Bubonem*, & *Anthracem*. Unde illa nomina antiqua, *pestis bubonariae*, *carbonariae*, etiam *inguinariae*, e. g. apud CRUSIUM. In his paucis cardo rei vertitur; Ad hæc referri quoque debet, quicquid tot tantisque voluminibus de peste scriptum hinc inde prostat.

De *Febre*, quam in peste quidam negant, vel essentiam tamen ejus in illa consistere non concedunt, quod peste correpti vel adhuc orthostadii aliquamdiu ambulent, vel citius quam accendatur ista moriantur, non est quod simus admodum solliciti. Si venenum specificum, usque hodie incognitum, ut causam; Si destructionem putredinosam ac necrosin corporis, vel certæ saltem alicujus partis, ut effectum; Si mutabilitatem denique, plus quam Chamæleontis Protheive, & indolem febris, bene perpendamus: Insuper a nobis superius adducta, de subjecti tam receptivitate,

tate, quam reactivitate, & causæ participatione varia addamus, contradictionem facile conciliabimus.

De *Bubone & Carbone* autem peculiari Disputatione, jam anno 1713. habita, ex professo quondam egit *Beatus PARENS*, ut, quia totam huc transcribere non adtinet, *Leçt. Benev.* ad istam integrum allegare, hic vero quasi Corollaria saltem eidem subnectere, omnino liceat.

Primo igitur omnium loco jucunda est *conspiratio harmonica*, & *consensus amicus*, illorum in laud. Disp. dictorum, cum Incluta Facultate Medica Viennensi, prout alleg. *Austr. Ordin. Leim. d. ann. 1727.* conferentibus facile patebit. Quorum pleraque suo quoque calculo confirmarunt Medici Massilienses, tam supra laudati, quam *PESTALOSSI*, dans son *Avis de Precaution contre la maladie contagieuse de Marseille.*

Quis vero non perhorrescat *Bubonis medio insidentem Carbunculum*? quod plus una simplice vice tamen factum esse *Viennenses* referunt. Aut *Bubonum bigæ junctam Carbunculorum dodecadem integrum*? Quibus obsecram feliciter tamen servavit juvenculam *Monsieur VERNY*.

Dum a quibusdam additur *Pestis species tertia*, prioribus gravior, *Exanthematica*, quis nisi rerum imperitus reprobabit *Viennenses*, distinguentes a petechiis veris maculas majusculas, nimis quam facile nigrescentes, bubonum carbonumque, vel extrudi, vel suppurari ac separari bene non valentum, sed naturæ potius succumbentis, ac necroseos indices? Locc. citt. *B. Parens* naturam colore hoc pullo luctum declarare, *CHICOYNEAU* mortem illas proxime vicinam significare dixit.

Memorabile est phænomenon *GABRIELIS*, animadvertentis duas pestis species, eidem urbi simul illatas, unam *Germanicam* Basilea, alteram *Gallicam* Lugduno delatam, quas per symptomata facile distingui potuisse, hanc illa periculosiorem fuisse, perhibet.

Num ad explicandam pestis cuiuscunque indolem diversam, declarandam miasmatis naturam specificam, adeoque inventionem antidoti certam, sufficiat distinctio & applicatio *Venenorum* vel *erodentium*, vel *stupefacentium*, vel *strangulantium*, ut cum qualitate occulta posthac non sit luctandum amplius, dies docebit & conflictus.

Veneni tamen pestilentialis certitudinem ac efficaciam egrae declarat *Sanguinis* ex vena secta missi *Serum*, muscis advolantibus, illudque degustare vix incipientibus, *deleterium*. Neque enim *Bubo*, ex infecti corpore exsectus, canique ad devorandum *innexie* porrectus, nobis erit fidum pestis exclusivum.

Quemadmodum talibus subordinari omnino potest adæquatus utique *Gallorum* conceptus de *Analogia pestis cum Variolis*; Ita quid obstat, quo minus etiam ad illam adplicemus, quod de his dicunt *Arabes*, esse nimirum corporis vel *depurativas*, vel *destrutivas*.

Cumque in *Variolis*, præter crisin principalem κατ' απόσασιν, reliquæ κατὰ μετάσασιν & κατ' ἔκκρισιν fiant etiam successu, non minus ac eventu, adeo ancipiti, tam in bonum, quam in malum; Itaque *Tabularum* MOEBII decimam sextam, *de Crisi*, integrum applicare ad negotium pestis, utilitate profecto non carebit.

Quomodo cum HIPPOCRATIS *Aphor. 19. Sect. II.* conciliabimus experimentum FORESTI, de *Lacte* mulieris, masculum lactantis, urinæ pestiferi admixto, si mergatur, *mortem* intra septiduum secuturam; sin supernatet, *salutem* certo venturam, prænuntiare dicto?

Pergeremus ad alia, & eodem, quo hactenus, modo perstringeremus non saltim Pathologiæ ac Semeiologiæ momenta plura, sed in primis etiam Therapiæ potiora, nisi in longum nimis cresceret disputatio. Dicendum enim superesset tantum, ut conscribendæ Disputationi adhuc alteri sufficeret. Sed malumus vela contrahere, & occasione Angeli percussoris, ex HELMONTIO superioris allegati,

allegati, pro complemento istam *Pestis Davidica* historiam cum ha-
ctenus traditis conferre.

Ex eo, quod ad AREVNAM, *frumenta triturantem*, venit DA-
VID, colligimus, pestem illam contigisse intra tempus, quod ab
æstate, per auctumnum, in hyemem. Hoc hodienum observatur.

Per tres modo dies durasse legitur, quin adhuc brevior unico
die absoluta Commentatorum quibusdam dicitur, illa pestis
sine exemplo, intra tam breve tempus per totam Canaan tot mil-
lia periisse. Alias tres menses tribuuntur pesti. Hos autem cir-
cumstantiae ibi non concedunt suspicari.

Visus inter cœlum & terram, qui plagam fecit. An Spiritus,
Dæmon aeris? An, juxta D. MOEGLINGUM, Sagitta volans Psaltis,
Massilio, Draco, cum aereo corpore? TERTULLIANUS in *Apolog.*
dæmonibus adscribit, si coeca ratione tentatus aer pestilentes hau-
stus offundat. Aerem tamen venenatum nolunt hodie amplius ad-
mittere, quamvis phænomena a nobis superius adducta probent,
illum ita penitus excludi necdum posse.

Angelus, idemque DEI, adeoque bonus, dicitur, qui exe-
cutioni dedit decreta Domini. KOZACKUS inducere voluit in me-
dicinam Spiritus morbiferos. THOMASIUSS substituit nomen Po-
tentiarum invisibilium. Causa Scriptorum omnium, quam com-
muniter ignorant, est spirituosa, quia invisibilis, potens tamen.

Angelus fuit *Percussor*. Hinc illorum libertas fuit & immunitas,
quos præteriit, prætermisit; Sicut in Ægypto. Quia, ne ipsos tan-
geret, in mandatis habuit.

DAVIDES Percussorem *vidit*, & *timuit*, sed *non sensit*. Non
fuit ergo peste correptus. Percussi senferunt, non viderunt, tacti
occulto modo, ut consternati fuerint intime, certo percussionis
signo. Non bene conspirant Hæc cum placitis HELMONTIANIS supra
positis.

Percussor prout ferit leviter, vel graviter, semel vel bis terve,
partem principem vel minus talem, ita peste correpti vel evadunt,
vel succumbunt, bis vel ter eandem patiuntur.

Prins

Prius in Israel pestis s̄eviit, quam in urbe Jerusalem, ubi & ejus finis. Historia progressum non tribuit causæ intermediæ, sed progressui ejusdem causæ percutientis. Videtur hoc esse contra Contagium.

Virorum in Israel pars fere duodecima, vel decima sexta periit. Cur Virorum modo fit mentio? An ergo Foeminæ, Infantes, Senes, arma gestare non valentes, excipiebantur? ut illi soli occubuerint.

In hac historia legitur *Gladius*. Quid dicemus hunc Angelī Gladium? An instrumentum pungens, secans? An in salino, præ sulphureo, principio quæreremus? ZACUTUS *Lusitanus* ex CARDANO memorat pestem Constantinopoli, qua qui laborarent, aut quibus morbus saltem imminebat, videbantur ab alio homine cadi; & sic hoc terrore perturbati moriebantur.

Dicitur hic gladius *in vaginam* tandem *reconditus*. SYDENHAM vero pestem semper alicubi superstitem manere suspicatur. Quid de Turcia modernis placeat, supra diximus.

Pestis illa fuit *sola*, sine fame & bello, quæ alias junguntur. Dicitur enim ejus causa evidens, & poena culpæ respondens, numeratio populi fastuosa post se traxit diminutionem populi numerosi.

DAVIDES ad locum, *ubi* vidit *Percussorem*, properavit, ut non liceat dicere, fugisse ipsum eo, tanquam ad locum montanum, salubriorem. Unicus ipsi superfuit animus poenitens, supplicans, confidens. Interim legi meretur *Mons Domini* apud HELMONTIUM, & conferri Psalmus 121.

Præ timore non potuit ad locum sacrificiorum in *Gabaon* ire David. Ergo sacrificavit in area *Arevna Febusitæ*. An ab accenso tunc per delapsum cœlitus ignem sacrificio venit antiqua traditio & consuetudo, depulsa per ignem pestis, & candelæ multiplicis ad mortuos hodienum poni solitæ? Confer. *Dan. Mo EGLINGUS, Disp. II. d. Pestil. §. 47.*

Non mutiet canis legitur de Israelitis in Ægypto salvis. An ergo Canes, Aves, alia animalia , senserunt Angelum Ægyptiorum percussorem, uti *Afina BILEAMI*.

Differentiam pestis , vel morborum acutorum ei similiūm, forte colligas ex dupli spiritu maligno Psalmi , diurno scil. uno , ac nocturno altero.

Sec. Acta Apostolorum *Herodes*, ab Angelo Domini percussus, confestim exspiravit σκωληκόθρεωτος veribus corrosus. Enimvero superiori utique subest etiam KIRCHERI causa pestis animata.

Emplastrum HISKIAE ex ficubus impositum mediorum etiam viuum , tanto malo imparium , specimen præbet. Quod jam ante Viennenses dudum notavit PLATERUS , septem pestes expertus.

Propior Ipsiſ, RAYGERUS : Quosdam , scripsit, juvant levia;
Alios nec præstantissima.

T A N T U M!
S O L I D E O G L O R I A.

